SPECIMEN NOVÆ METHODUS CIRCA DIVISIONEM MORBORUM QUI MANU...

Pierviviano Zecchini

SPECIMEN
NOVAE METHODUS

CIRCA

DIVISIONEM MORBORUM QUI MANU CURANTUR

DESCRIPTUM

A PETRO VIVIANO ZECCHINIS

FOROJULIENSE

OB LAUREAM MEDICO-CHIRURGICAM

REFERENDAM

IN IMP. R. UNIVERSITATE PATAVINA

ANNO M. DCCC. XXV.

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM

TITULO MINERVA

CLARISSIMO · AMPLISSIMO · SAPIENTISSIMO · VIRO

DOCTRINA · FIDE · VIRTVTE

SPECTATISSIMO

CAESARI · RVGGERI

CHYRVRGIAE · PROFESSORI · MERITISSIMO

OB · SVAM · EXIMIAM

IN · MVNERE · EXPLENDO

SOLERTIAM · SEDVLITATEM · DOCTRINAM

AMORIS · AC · OBSEQVENTIAE

ERGO

PETRVS · ZECCHINIS

MEDICVS · CHYRVRG · CANDID ·

PERGRATVS · DICATISSIMVS

D · D · D ·

A · M · DCCC · XXV

SPECIMEN NOVAE METHODUS
CIRCA
DIVISIONEM MORBORUM
QUI MANU CURANTUR

In tam multa ac varia de scientiarum methodo disceptatione, circa quam tot clarissimorum inter se hominum sententiae differunt, nihil magis apud omnes visum est necessarium, quam eas a propriis fontibus deducere ac ordinare, in partibus distributas discernere, certisque finibus circumseptas, constituere, et definire: principium sane magni momenti, praesertim si recta analysi comitatur; quae utilitas circa aequam distribuendarum partium rationem, quum mihi in morbis manu curandis, (seu in *χειρουργία*) tam ad tuendam, quam ad restituendam valetudinem, nec non ad morborum incrementa impedienda, maxima videretur, id in praecipua hac medicae artis parte experiri visum est, spe adjecta, alios inceptum, si bonum judicent, foeliciori inde auspicio prosecuturos.

Nimis longa oratione uterer, si a *nosologiae* definitione, ejusque fundamentis, ac divisione iniens, de *synopatica*, ac *systematica* sermonem facere, tum de earum fine quid sentiendum sit dicere velim; item, si caracterem morborum, elenchum, ordinem, genera, species, varietates explicare, errores omnes, qui a veterum morborum divisionibus, alphabetica nempe, temporaria, anatomica, etiologica, et syntomatica necessario manarunt, ostendere atque refellere Sed longius valde a statuta oratione discederem si varias nosologiae appellationes recensere, si sermonem instituam de generalitate unius ideae quae ab imminutione qualitatum, et ab auctione objectorum ex quibus deducitur incrementum acquirit. Has notiones, quae in prolusione, ac veluti in limine nosologicae methodus

praemittuntur, copiose in scriptis celebrium auctorum diffusas collegit eximius Sauvagesius ubi de methodo nosologica: opus nunquam satis laudatum si ejus doctrina, ingenium, perspicacitas, ac veritas, considerentur.

Hisce omnibus praetermissis, dicam breviter, qua ratione ductus, novam methodum ad chyrurgiae morbos ordinandos designare ausus sim. Maximum quidem scientiae detrimentum intulerunt ii qui vegetabilis regni objecta, quae Botanicae spectant, nimis quadam frequentia ita diviserunt, ut ea quae in eorum libris extant involuta plerumque, atque implicata, maximam studiosis difficultatem injiciant. Quod detrimentum ex hoc praesertim fluxisse videtur, quod in caracterum deductione, pauci aut nullius momenti notis instituerunt, eas veluti praecipuas minutim designantes ut Linnaeus in observatione organorum genitalium, ac Tournefortius eorumdem involucra considerans, praecipuarum distinctionum obliti, minima utilitate, maximo studio fecerunt. Hac levi de causa, id non levis mali consequitur, quod plures sub uno, eodemque ordine plantae inveniuntur, quae inter sese minime conveniunt. Sed hoc incommodum in pluribus chyrurgiae syllabis maxime eminet, morbos sat multos in eadem cathegoria confuse complectentes, a quibus organa quoad officium ac naturam omnino diversa afficiuntur, et quibus dissimilis idcirco cura adhibenda est. Ut ex multis exemplum unum praebeam, quis non ridest ubi inter tubera *glandulum*, aut *ganglium tendinosum*, ac *aneurisma* eo tantum pariter numerantur, quod utraque externum tumiditatis caracterem praeseferunt? Nulla adhibita distinctione inter primum quod ad tendines, et secundum quod ad arterias adhaerescit, quamvis aliae sanguinis circulationi, alteri adhesioni musculorum cum ossibus scheletri inserviant? Quis neget illam gloriam quam sibi immortalis Jussieu in sua methodica vegetabilium divisione adeptus est (in qua praeter maximam caracterum affinitatem, admirabilis quoque ordo undique invenitur) alium aeque assequi posse qui chyrurgicos morbos ita ordinet, ut nomina vario organorum systemati, et huic partes diverso pacto colligatae inservientes, immutabili lege perfecte respondeant? Qua de causa haec malorum affinitas a perturbatione cujuscumque corporalis operationis desumta, utilima est, quum chyrurgus ex ea conjicere pos-

sit quo pacto eadem perturbata operatio in pristinum reducatur. Eo spectans chyrurgus nunquam deveniet, nisi plura adhibeat remedia quae naturae partibus maxime conveniant, in quibus caussa perturbationis patet, unde morbus fit.

Quamobrem methodus in morbis chyrurgiae dividendis, mea quidem sententia, non eodemque gradu cum iis procedat necesse est, quae corporis partes juxta earum officium ac usum in ordinem disponunt, ratione semper habita cum exasperatione morbi, in qua si aliquod animale systema perturbatur, partes quoque diverse omnino operantur. Cum id brevi probaverim, ut spero, facile inde illatione deducam, potiorem in morbis chyrurgiae divisionem illam futuram quae optimis systematibus, partium ad singulas operationes concurrentium, propius accedat. Quocirca liceat nunc breviter quasdam *physiologicas* notiones praemittere de variis partium systematibus, ex quibus propositae methodus convenientia maxime elucet. Quidam inter physiologos celeberrimi non pridem quam triginta ab hinc annis multifaria systemata de humani corporis partibus praebuere plus, minus circa officia dissentientes, quae ab ipsis partibus colligatis funguntur.

Dumas professor anatomiae ac physiologiae in Universitate Montis Pessulani, in suo Physiologiae opere in lucem edito anno 1800, septem systemata enumerat, nempe 1. nervosum vel sensiferum; 2. musculare vel movens; 3. vasculare, seu sanguineum, aut calorificum; 4. viscerale, aut reparans, 5. lymphaticum, vel colligens, 6. sexuale, vel reproducens; 7. osseum sive fundamentale. Richerandius, professor Anatomiae ac Physiologiae Parisiis, suis elementis Physiologicis in lucem proditis anno 1802 decem systemata complectitur, eaque sunt: 1. digestivum, 2. absorbitivum; 3. circulans; 4. respiratorium; 5. secretorium. 6 sensitivum; 7. musculare; 8. osseum; 9. vocale; 10. sexuale. Fourcroy vero, qui de physicis medicisque scientiis optime meritus est, undecim systemata statuit; talia sunt: 1. osseum vel solidum portans; 2. musculare irritabile; 3. sanguineum circulans; 4. lymphaticum absorbens; 5. glandulorum secernens; 6. nervosum sentiens; 7. cellulosum connectens; 8. pulmonare calefaciens, ac sanguinem; 9. alimentare, aut digestivum assimilans; 10. genitale perpetuans; 11. cu-

tancum perspirans. Brevitatis caussa sermonem nullum habebo de Vincentio Malacarne in hac Universitate chyrurgiae, ac obstetriciae professore quondam satis celeberrimo, qui anno 1805 opus insigne de systematibus in lucem edidit, quorum unum Commune, quatuor Generalia, septem Universalia, septem Partialia conspicua, quae proinde in primaria, ac secundaria divisit. Clarissimi quidem Bichat primi inter Gallos mentionem faciam, qui prior judicium intulit a nemine antea excogitatum, sibi persuadens, distinctis quibusdam partium unionibus, quae diversis animalibus functionibus praesint, caussas earumdem functionum facilius inde se colligere, ac determinare posse. Hoc sane patet in suo membranarum opere saeculo 1800 exeunte impresso, clarinsque in sua generali Anatomia, typis anno 1801 mandata. Is vero uno tantum nomine, apparatus nempe, sive unionis organorum eas partes appellavit, quae ad eamdem animalem operationem tendunt. Systematis nomen simplicioribus animalium partibus tribuit a quarum vario concursu organa componuntur, quae ab anatomicis distinguuntur in organa proprie dicta, aut in partes simillimas. Juxta id quod vel multae simplices partes aequali proportione ad ea constituenda concurrunt vel unica pars in hac compositione dominatur. Videtur vero quod professor meus Gallini, doctrina insignis, scriptisque spectatissimus in suo clarissimo opere, cui titulus: *Specimen observationum circa progressus physicae humani corporis*, anno 1792 in lucem edito, ante certe quam Bichat praefata scripta protulerit, sana quidem sententia nomen systematum partium indiderit, ad media indicanda, quibus plura, vel potius omnia corporis humani organa connectuntur, diversimode, sed tamen directe tendentia ad varias operationes certo ac determinato quodam modo excitandas. In hac intentione, quatuor tantum systemata proposuit, inter quae cellulosum quidem adnumerandum censeo, quamvis eo tempore, nondum ut postea fecit, explicasset cur hoc contextum cellulosum evidenter ad quartum medium pertineat; attamen hoc clare aperuit, idem contextum cellulosum in quibusdam etiamsi minimis corporis animalis partibus interpositum, demonstrans eas quasi colligare, ac ex iis omnibus unum corpus componere; nihil aliud inde subjiciens praeter quam quod omnes quoque minimae partes hoc adjumento, omnibus corporis

animalis functionibus inservire possunt, ac proinde hoc medium considerandum esse ut systema cellulosum, alus tribus jungendum, quas osseum, vasculare, ac nervosum appellaverat. Certe quidem, praeter partium unionem quae efficitur ab interposito celluloso contextu (unicam continuamque congeriem componens) certum est in humano corpore ossa omnia existere simul juncta articulisque inter se distincta ad efformandum unicum quidem systema, tendens ad nexum, fulcrum, vel tutamen caeteris partibus omnibus praebendum, ut libere inter se agere, se moveri possint sine laesione, et sine aliqua situs mutatione. Certum itidem est vasa omnia quae animalem humorem continent, continuam unicam cavitatem efficere, cujus centrum sunt cordis cavitates, ac pariter vasa omnia alterum systema constituere, unde fluida quae animalia vocantur, semel absorpta a lymphaticis, indesinenter ab his ad sanguinea derivant, e quibus ad exhalantia, et secretoria, hincque e vasculari systemate expelluntur, ut iterum majori ex parte absorbeantur, quae dum ita progrediuntur, propter variam vasorum distributionem ac formam, certis mutationibus subjiciuntur, quae assimilationes appellantur. Certum denique est, nervos omnes, una ex parte cum organis sensus, aut cum organis motus contermioantes, altera, modo directe, modo glandulis aut gangliis prius effectis ad centrum maximum reductos (quod nisi cerebrum, continuatio ejus sane cerebrum est habendum) certum inquam est nervos omnes aliam congeriem, vel systema aliud efformare, propter quod impressiones quae super organa sensus ab externis corporibus fiant (quae corpora, licet circumstantia, licet ad internas cavitates intromissa, vel per totum vasculare systema fluentia) ad caetera motus organa diffunduntur, ac inde prius cum gangliis aut cum maximo centro junctae, ibi cum iis nervis communicant qui motus organis praesunt. Hae impressiones, praesertim in centro, varias subeunt mutationes, juxta varium earum numerum, vim, ac directionem qua simul ab organis sensus adveniunt, quave simul ad organa motus progrediuntur, et juxta frequentiam qua ipsae impressiones simultaneae, ac subita successione devenerunt ac processerunt. Hoc tamen supposito, comperta quoque horum systematum utilitate, ut progressus caussasque ipsarum functionum statueremus, animadvertere mihi liceat, systemata

duo, cellulosum nempe, et osseum consideranda esse tamquam auxiliaria systematis vascularis et nervosi; hisce etenim duobus postremis mediis, vel systematibus tantum, partes omnes propria actione tendunt ad distincta bina functionum genera, quorum utrumque ad diversam animalem operationem conspirare novimus; vasculari namque systemate fluida animalia indesinenter motu proprio procedunt ac regulariter subjacent statutis quibusdam assimilationibus vel compositionis, et homogeneitatis ulterius procedentis, donec per lymphatica vascula absorbentia ac per venas ad cordis cavitatem perveniunt, vel retrogradas decompositionis dum a cordis item cavitate provenientes per arterias ad exhalantia, et secretoria vascula pergunt, hincque a vasculari systemate exulantur. Systemate autem nervoso externi cujusque corporis impressione cerebro, vel maximo centro assidue transmittuntur ab organis sensus, et ab hac sede organis motus communicantur. Quae impressiones in cerebro residentes tanquam caussae occasionales ad nihil aliud inserviunt, quam ad relativas sensationes, ideas, determinationes excitandas atque evolvendas, ab ea facultate adjutae quas ibi dominatur, a qua mysticum illud *Nos* constituitur; a cerebro inde progressae in organa motus illos ibi motus tamquam caussas occasionales suscitant, qui sensationibus, ideis, ac determinationibus respondent; ac proinde ipsis impressionibus a quibus reliquae operationes manarunt. Observandum tamen est quod quamvis particulares omnes functiones vel ad primam, vel ad secundam harum operationum tendant, et consequenter vel a vasculari vel a nervoso systemate procedant, alia reliqua duo systemata quoque ita operantur, ac tanta vi atque actione inserviunt, ut magni semper momenti haberi debeant. Systemate celluloso non solum omnes partes etiam minimae inter se ita junguntur ut libere ac sponte agantur, et moveantur, sed etiam quaedam fluida exhalantium ope in propriis cellulis recipiuntur, ut ex majori parte a lymphaticis vasis, quae semper proxima sunt iterum absorbeantur, ac tamen continuo cellulas impleant, et statim parvos athomos praebeant, ut quod quavis etsi minima pars agendo amiserit, reficiatur. Osseum systema ad hoc non tantum inservit ut nexum, fulcrum, ac tutamen caeteris partibus praebeat, sed etiam varia ossium mole, figura, articulatione, et propter di-

versum locum quo musculi inter duo articulata ossa se inserunt, hoc inquam systema, motus partium omnium dirigit ac moderatur, partibusque omnibus praeest, ut juxta varias sensationes, ideas, ac determinationes proprium officium accomodent. Ex hoc consequitur, quod systema cellulosum functiones a vasculari systemate productas adjuvat, osseum vero iis favet quae a nervoso procedunt; omnia simul quatuor haec systemata, in omnes corporis functiones maximam partem habent.

Non temere dixi *in omnes functiones*, nam quamvis functiones ipsae quae simul tendunt vel unae, vel alterae duarum animalium operationum, per se, ac proprio tantum arbitrio fieri videantur, hoc tamen revera non ita se habet. Liberae quidem operari putantur tum cum in ordinario vitae cursu, harum progressus, et continuae fluidorum animalium assimilationes gigni pro ratione tantum videantur, impressionum provenientium vel a corporibus directe intromissis, vel a fluidis circulantibus in interna cavitatum ac vasculorum superficie, unde progressivo gradu moventur; tum etiam ex hoc, quod progressivae impressiones, transmissiones, ac relativae sensationes, ideae, determinationes, nec non consequentes animalium motus, data occasione tantummodo effici existimantur, ac pro vi tantum earum impressionum a quibus quinque sensoria externa proprie dicta afficiuntur, quae ad maximum centrum perveniunt, progredientes inde ad quaedam motus organa, quae non nisi ab unicis nervis impressiones accipiunt. Sed omnes functiones mutuo invicem auxilio egent ut animales operationes quibus tendunt regulariter ac ordinate procedant, ac ut individui aequa valetudo ac vita tueatur. In vasculari systemate parietes omnes a quibus singula vascula, et cavitates efficiuntur frequentibus impressionibus quae a centro maximo ope nervorum iis comunicantur continue egent, ut necessarius vigor progressivo motui, ac successivae assimilationi fluidorum animalium conservetur. Nervi ipsi indigent semper nutrienti fluido quod exhalantia in interioribus eorum contextus cellulis serbant, ut nunquam desit vel ad nervorum compositionem, si aliquid detrimenti agendo passi sint restaurandam, vel ad conservandam in iis activitatem ut semper praesto sint, cum impressiones ab organis senens ad centrum maximum, et ex hoc ad organa motus deducere

debeant. Minimo insistendum mihi censeo super hanc restrictionem functionum ad duo tantum genera veluti tendentia unicae animali operationi essentialiter diversae, et tamquam derivantia scilicet ex una parte a vasculari, ex altera a nervoso systemate. Attamen considerare juvat functiones illas quae videntur profectae ab uno systemate independenter omnino ab alio, distinctim ab iis quae semper apparent tamquam procedentes, e concursu duorum systematum, hinc perutile erit distinguere eas in tertio alio genere. Valde proderit hoc tertium genus admittere nam functiones priorum duarum classium faciliores, ac simpliciores apparent in vario earum processu, ac ex diversis causis, dum quae tertio generi adsignantur implicatiores evadunt, earumque sane noscitur processus ac determinantur causae, sed tantummodo postquam perspecta probe habeantur priora alia duo genera. Sed nec ulterius insistam demonstrationi per quam derivando functiones tendentes ad binas diversas animales operationes propter unicum seu vasculorum, sive nervorum systema, luculentius, et securius constituere mihi fas sit nervorum influentiam in utriusque generis functionibus, quin ultra indigeam subdivisione systematis nervosi in ganglionicum, et cerebrale, vel necessitate subjiciendi doloribus plura animalia, et experiendi multimode ad demonstrandum functiones vascularis systematis productas esse actione nervorum a gangliis dumtaxat provenientium, et functiones illas quas a nervoso systemate derivatas novimus ope nervorum qui a cerebro procedunt tantum effici. Nimia denique audacia arguerer si meum judicium in medio proferam, circa functionum divisiones, vel vitae organicae, an animalis, ut inolitus Bichat existimavit, vel divisiones anteferens quas prior omnium celeberrimus professor Gallini exposuit in suo duplici systemate, vasculari nempe atque nervoso. Ea tantum complexurus quae meae propositioni referuntur, affirmare non dubitem, functiones omnes ab actione vitalis vis procedere, vel ab actione gradus hujus vitalitatis diversis partibus inhaerenti quae actio excitatur a stimulis, impressione vel directe in partibus facta, vel partibus ipsis medio nervorum traducta.

Perturbationes ergo functionum, quae, olio quoque nomine, morbi vocantur, quorundam stimulorum insuetae applicationi aut vi tribuendae sunt, vel etiam mutatae vi

potentiae vitalis quae variis partibus inhaeret adscribi possunt. Cura vero quae in morbis adhibenda est ad hoc praecipue tendere debet ut insuetos stimulos, vel quos insueta vi praeditos noverit, prohibeat ne occasionem praebeant actionibus irregularibus vitalis insitae vis, vel ut insitam vim, vi regulari restituat, tum si haec transierit a suo regularis potentiae gradu ad primam applicationem insuetorum stimulorum, tum si ob hao propter iteratam ac diuturnam eorumdem stimulorum applicationem recesserit. Sed dum stimuli vel insuetae naturae, vel vis, impediri aut prohiberi tantum debent a facienda impressione, dumque iis alii stimuli consuetae naturae ac vis subjici possunt, cura morbi unicis medicis propric dictis interest. Hae infirmitates veluti omnino internae habentur, farmacisque internis medentur, nulla adhibita externarum applicationum ope (si qua levissima excipiatur) nec chyrurgiae salutari manu accersita. Vitalis potentiae vis vel excitata cum prius morbus apparet, vel eo perdurante, semper in his casibus remittitur gradui proprio normali, functiones tantum vascularis systematis moderans, idest progredientem motum succedentium assimilationum fluidorum animalium, per quam moderationem fluida ipsa nutritiva suam actionem recuperant ad remittendam partibus singulis etiamsi minimis propriam compositionem, regularemque actionem.

Sed ut functiones utriusque generis modo regulari exequantur quo invicem juvantur, simulque conspirant ad valetudinem individui tuendam non sufficit stimulos consuetos occasionem praebere actionibus insitae vitalis vis diversis in partibus, sed oportet praeterea ut organa omnia constent ex certo numero certaque simplicium partium proportione, oportet etiam organa omnia ex certa conformatione, ac relativo volumine composita esse omniaque existere in eorum praestituta mutua positione; oportet insuper ut non induxerint permanenter substantias insolitas, sive ab exteriori introductas sive in interiori parte collectas, et quae vel stimulorum solitorum applicationem arceant, vel ipsae ad stimuli modum permanenter agant; ac in primis oportet ut organa omnia, ac ipsae simplices partes etiamsi minimae a quibus ea componuntur, inter se certo ordine conjungantur, ea varietate modus ac nexus a qua systemata supra demonstrata consti-

tuuntur. Dixi hoc inprimis necessarium esse, nam omnes caussae a quibus functiones in executione variantur ad hoc postremo reduci possunt, quod partes omnes vel minimae, ac organa ab iis effecta, vel distincta ab expositis systematibus, vel irregulari modo coniuncta sunt; sive una, sive alia de caussa, organa ipsa, si quam habent formam regularem amittunt, nec volumen necessarium serbant, nec mutuam positionem: ita solidae substantiae, vel fluidae insolite ingredi possunt, in cellulis se agglomerare, ac in cavitatibus, in interioribus cellulis, atque in fibris ipsis solidi contextus latere. Mutationes quae tunc in functionibus fiunt, ac infirmitates quae ex his procedunt, nunquam sola ope interni remedii a medicis curari possunt, vel motus progressivos moderando, vel successivas fluidorum animalium uniones temperando, sed externis cataplasmatibus, ac manu chyrurgica praesertim adhibita oportet imprimis vitia systematis reprimere, ac inde damna quae ex iis necessario immediatim consequuntur praevenire. Infirmitates quae chyrurgiam spectant eo quod a salutari manus operatione curantur ex quodam vitio semper proficiscuntur quod medio, vel systemati inhaeret. A systematibus enim partes inter se junguntur, simultanea actione conspirantes ac tendentes, ut duas potissimas animales operationes absolvant, nempe 1. ut motui indesinenter progressivo, ac successivis fluidorum animalium assimilationibus praesint. 2. Ut indesinenti progressivae communicationi impressionum operam dent, ac inde progressivo sensationum ordini, idearum, ac determinationum sibi succedentium, quibus consequentes animales motus respondent, qui motus cum impressionibus a quibus excitantur semper consoni sunt. Omnis vero systematum vitia ad duo tantum reduci possunt; vel ad intermissam partium unionem aut continuitatem, vel ad continuitatem ipsam ac unionem, irregulariter, et vitiose formatam, quorum primo, unionem partium restaurando; secundo, corrigendo consulitur. Morbi vero qui ex hoc manant quamvis semper eadem syntomata, tumoris, aut vulneris, aut luxationis praeseferent, vario tamen nomine appellantur, diversa natura sunt, varisque cura egent, juxta varium systema cui sunt obnoxii; quod systema ut vidimus vel interturbatum, vel vitioso modo continuatum esse potest.

Qua de caussa infirmitates manu curandae in quatuor ordines dividi possunt, juxta varium systema quod vitio aliquo affectum sit; unusquisque ordo in duas classes, quarum una interruptam continuitatem, altera irregularem continuitatem comprehendat. Quaeque classis iterum in tot genera distribui posset juxta caussas diversas a quibus ipsa partium continuatio vel interrupta, vel interturbata esset in uno aut in altero systemate. Hae caussae vel internae, vel externae nominarentur. Externae caussae forent arma omnia quae vel caesim, vel igne ferirent, vel cujuscumque aterogenei corporis introductiones, unde interrumpi, partium continuatio posset in quovis systemate, vel etiam ea corpora quae aut comprimendo, aut ictum per vim inferendo, et percutiendo violenter, unionem regularem partium perturbent, et continuationem systematis interrumpant. Internae vero caussae sunt effectus omnes qui a functionibus ante perturbatis procedunt, propter inanetos stimulos, vel propter diversam actionem ac vim, unde fluida nutrientia a regulari propria quantitate, ac qualitate detorta, vel inefficacia effecta sunt ad continuationem in systemate servandam, vel vim illam augent, aut minuant a qua particulare systema conjungitur. Perturbationes autem fluidorum nutrientium, propria qualitate ac quantitate non solum partem habent in demovenda ac impedienda restauratione solidi contextus, ad propriam formam ac statum regularem activitatis, aut amissiones ab hoc agendo factas subito non restituendo, sed etiam quasdam concervationes faciant athomorum, quae aut cum dissimilia naturae sint, aut nimia quantitate collectae, magis, magisque interiores cellulas solidiorum contextuum protendant, vel majorem adhaesionem inter se acquirendo, volumen invicem augent, ac stabilitatem solidorum, semper novis, iisque manentibus stimulis confirmant. Quae athomorum contrariae naturae congeries a fluidis effici possunt quae continuo versantur ab exhalantibus vasis cujusdam internae superficiei, vel cavi organi, vel folliculi, aut glandulae simplicissimae ea quantitate ut interius veluti constituant corpora inaueta intromittantur quae meliori progressui functionum noceant, et vel insuetos stimulos inferant, vel regularium stimulorum applicationem perturbent. Unumquodque genus iterum in species dividi potest juxta varietatem situs, qua sive unum, sive aliud

systema perturbatum, praecisum, aut irregulariter continuatum esse potest ab una aut alia caussa quam supra indicavimus, cum varia genera designavimus. Circumstantiae postremo quibus syntomata differunt in vitiis dissimilium systematum patefaciendis, ac in locis quibus apparent, occasionem praebebunt ad quasdam varietates in eadem morbi specie distinguendas.

Exhibere nunc oporteret methodicam dispositionem his innixam principiis, sed praeter quam quod oratio mea in longum nimis protraheretur, si de ea sermonem instituere vellem, fateri non verebor quod quamvis paucas meas ideas hic proponere ausus sim, attamen minime proferre et exequi posse quae mihi proposuissem, quin prius certus essem an recte usus fuerim physiologicis, pathologicis, et praticis notionibus quas usquemodo percepi ex instructione, ac disciplina illustrium et doctissimorum magistrium qui hanc Imperialem, Regiamque Universitatem celebratissimam reddunt. Mihi interim plurimum me assequutum videbor, planeque felicem, fortunatumque existimabo, si hoc specimine, quodcumque tandem sit, ostendere poterim, juste per me statuta extitisse vera principia certae cujusdam methodicae distributionis morborum manu curandorum, qua proprie demonstretur ex qua causa quilibet particularis chyrurgicus morbus oriatur, vel saltem quae primo intuitu exhibeat remedia quibus chyrurgus uti valeat, ut quantum fas est singulae functiones ad debitum officium restituantur, et ad vitam, sanitatemque tuendam cujuscumque individui, efficaciter, valideque concurrere queant. Dixi.

THESES

I. Si quae ab aliis abstrahimus, ea vocabulis peculiaribus designamus, hoc modo abstractiones fiunt magis clarae et distinctae, abstracta facilius memoriae mandantur, ac diutius retinentur.

II. Genera et species morborum sunt notiones abstractae; nec enim dantur in universo tum genera, tum species, sed tantum individua. Illa itaque peculiaribus vocabulis, id est nominibus, sunt designanda, ut clarius, distinctiusque cognoscantur ac intelligantur.

III. Nomina si tollas, nulla est cognitio rerum